DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VARIOLARUM INSITIONE.

2

DISPUTATIO MEDICA, INAUGURALIS DE VARIOLARUM INSITIONE:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI,

et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

FRANCISCUS WAYNE, ANGLUS.

Ad diem 6 Idus Junii, horâ locoque ſolitis.

Minima de malis ſunt eligenda.
CICERO.

EDINBURGI:
Apud HAMILTON, BALFOUR, et NEILL.
M,DCC,LIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30784086

200

VIRO VERE GENEROSO,

Reverendo GULIELMO DAVISON,

ECCLESIAE ANGLICANAE PASTORI;

OB INGENIUM, DOCTRINAM,

MORUM ELEGANTIAM,

COMITATEM SERMONIS,

OMNESQUE ALIAS ANIMI DOTES,

QUAE HOMINEM EXORNANT,

CONSPICUO;

HANC DE VARIOLARUM INSITIONE

DISSERTATIONEM,

D. D. D. C. Q.

FRANCISCUS WAYNE.

DISPUTATIO MEDICA

DE

VARIOLARUM INSITIONE.

VARIOLAE inter notiſſimos morbos hujus inſulae, ubi maxime graſſantur, jure numerari poſſunt. Cauſae quippe praediſponentes, temperiei humanae quaſi innatae, morbum hunc foediſſimum, fere univerſalem reddunt; tanta autem eſt vis labis ac contagii, ut amicum eorum auxilium qui eodem morbo non laborarunt, reſpuat: quin et hoc malum adeo peſtiferum et funeſtum videtur, ut rem vere reputantibus conſtet, quemque ſeptimum, immo ſaepiſſime plures eorum qui ab eo tentantur, necari; neque mirum quum nec ſexui, nec aetati, parcat; nam contra hoc, praeſidia juventutis, pulchritudinis, dignitatis, potentiae, ac denique divitiarum atque opum omnino vana ſunt. Bene igitur obſervat acutiſſimus medicus WHYTT *, hunc morbum inter eos cenſendum eſſe, qui ſummopere ad minuendos hominum numeros conferunt.

QUOT, ac quanta commoda mortalibus confluerent, ſi huic peſti graviſſimae non omnino mederi, at ſaltem vaſtationi et ſtragi inde ortis obviam iri poſſet! Hanc provinciam

* Vide *A Diſſertation on the Numbers of Mankind*, Pag. 82.

vinciam lubens mihi ſuſcepi, utpote perſuaſo hoc maxime inſitione effici poſſe.

PRIMO autem de hujus praxeos origine, deque modis propagationis ejus, paucis dicam; neque forſan hac in re, ingratum curioſis facturus videbor, ſi utilitatem ejus demonſtrare, et ſtabilire conatus fuero.

CALAMITATES innumerae atque funeſta effecta hunc morbum ſequentia inſitioni anſam primum praebuiſſe videntur; et ut verbis celeberrimi MEAD utar, "Circaſſiorum *, quantum inveſtigare potui, hoc fuit inventum, "apud quos mulieres formae pulchritudini et venuſtate "praecellere dicuntur; quocirca uſitatum eſt adoleſcentulas praeſertim pauperiores populis finitimis in ſervitutem a mangonibus vendi. Cum igitur obſervatum eſſet, "eo minus tam de facie, quam de vita, periclitari omnes "hoc morbo laborantes, quo eſſent aetate minores; excogitatus eſt hic modus in tenera adhuc corpora immittendi, quo merx vendibilior lucrum majus apportaret."

ANNO 1673, Conſtantinopoli mulier quaedam Graeca, Theſſaliâ oriunda, hanc artem reperiſſe videtur, et quo inventum ſuum ſanctius redderet, variis id myſteriis ac ſuperſtitioſis ceremoniis velare voluit; praxi verò parum honoris habitum, praeſertim apud nobiliores, donec anno 1701 †, variolis foede graſſantibus, ac omnia longe lateque vaſtantibus, uſus hujus apud homines haud obſcuro loco natos invaluit, atque adoptari coepit; hanc ut excolerent

* Vide philoſoph. tranſact. No 339, p. 72.

† Vide philoſoph. tranſact. No 347, p. 394.

lerent Graeci *, Armenii, aliique Conſtanſtinopoli degentes feliciſſimus exitus fecit; ſiquidem anno 1713 haec praxis tanto honore habita eſt, necnon adeo generalis evaſit, ut amplius ſex millibus hominum a muliercula illa Graeca inoculati fuerunt: Turcae quidem qui omnia fato quodam inevitabili fieri volunt, hanc methodum, caeteris hominibus adeo ſalutarem, tanquam quoddam omnino impium et ſceleſtum reſpuunt.

Hoc fere tempore, anno ſcil. 1713, Anglis primum haec praxis innotuit, per literas D. TIMON a Conſtantinopoli miſſas, ad D. WOODWARD Londini degentem. Hujus verò uſus neglectus fuiſſe videtur, ad annum 1721. Dux *de Montague* Legatus Anglicanus a Conſtantinopoli reverſus, filiam inoculandam curavit, filio a chirurgo ſuo D. MAITLAND prius inoculato quam inde profectus eſſet; plures Generoſi hujus exemplum ſecuti ſunt.

ANNO autem 1721, medicorum collegium ad hanc praxin confirmandam, rem publico tentamini, veniâ prius impetratâ, ſubjecerunt, e ſex enim capitalium rerum damnatis, in omnibus praeter unum variolae mitiores fuere, ſextus autem nullo modo affectus fuit, utpote qui antea eodem morbo laboraverat. Anno 1722 Sereniſſimus Rex GEO. II. ob animum in cives paternum notus, ut hanc ſalutarem praxin exemplo ſuo promoveret, regiam ſobolem, unice dilectam, inoculandam curavit. Ab hoc tempore, ejus uſus feliciſſime excultus, ac ſummo

* Vid. Diſſertationem medicam de Byzantina variolarum inſitione, auctore Le Duc, Lugd. Bat. 1722.

mo honore habitus eſt. Attamen, non obſtante hoc ſucceſſu, haud pauci, contra hac praxin, ut indignam Chriſtiano homine, tanquam pro aris et focis pugnant. Quos ut coarguam erroris ſui, probare conabor quantillo periculo mala a variolis orta inſitione vitari poſſunt; unde manifeſtum fore ſpero, quam infirmis argumentis nitantur qui contrariam ſententiam fovent.

§ I. Arabes primi videntur, qui quidpiam certi hoc de morbo memoriae prodiderunt; quo verò modo exordium habuit, adhuc latet. Humanum genus huic morbo obnoxium ſemper fuiſſe, vel inde ſatis conſtat, quod Indi-Americani apud quos variolae omnino erant ignotae, ante Europeorum adventum in illas regiones, aeque facile ac noſtrates morbo affecti fuerint *. Hinc colligere licet, variolas nuſquam gentium notas fuiſſe priuſquam aeris craſis epidemica varioloſa eas elicuiſſet, cujus autem qualitatis haec aeris temperies ſit, haud facile eſt dijudicare, quum ea ſit ejus ſubtilitas, ut ad examen non evocari poſſit. Attamen quandocunque hoc accidit, eos, qui antea morbo haudquaquam laboraverunt ei obnoxios eſſe patet; quod nullo fluidorum vitio natum arbitror, quin potius diatheſin ſive diſpoſitionem eorum talem eſſe, ut hoc varioloſo miaſmate tacti, ſtatum novum, ſeu diſpoſitionem, prout haec varioloſa aeris conſtitutio poſtulat, affectent; ſagax noſter Sydenhamus † notat, " febrilem ſanguinis commotionem ſaepe non alio colli-" neare, quam ut ipſe ſeſe in novum quendam ſtatum et " diatheſin

* Vid. Mead de variolis.

† Sect. I. cap. 4.

" diatheſin immutet, hominemque etiam, cui ſanguis pu-
" rus et intaminatus perſtat, praecedente inſigni aliqua
" aëris mutatione, identidem febre corripi poſſe; propter-
" ea quod ejus ſanguis novum ſtatum, et conditionem
" adipiſci geſtit, qualem ejuſmodi aër poſtulaverit." Frequens etiam eſt obſervatio, homines, imprimis autem peregrinantes, qui longa itinera emenſi in diſſitis regionibus vivunt, plerumque febre corripi, quamvis antea ſaniſſimi fuerint; et per hanc ſic mutari illorum corpora, ut aërem et victum illius loci poſtea facile ferant. Pari ratione quoties haec aëris affectio varioloſa accidit, fit ſaepiſſime, quod antea intacti hunc morbum contrahunt, (qui febris ſui generis videtur, ſed non multum ab aliis febribus, ſi exitum excipias, diſcrepans), unde habitus fluidorum ita immutatur, ut neque incommodis hujuſce aëris vexentur, nec in poſterum morbo obnoxii ſint. Sic etiam in multis morbis, quos febris comitatur, videmus ſic mutari hominum corpora, ut poſtea illas cauſas, licet frequentiſſime applicatas, impune ferant, a quibus prius in hos morbos inciderant. Sic Thucydides * ubi terribilem Athenienſium peſtem deſcribit, notat, illos, qui dira hac lue correpti evaſerunt, poſtea fuiſſe immunes.

§ 2. QUALI natura haec ſemina peſtifera praedita ſint, a priori, nullo modo cognoſci poteſt: attamen mihi ſatis liquet, quod licet eundem morbum producant iſta ſemina, ex his, tamen, per ſe conſideratis, quantitas aut qualitas variolarum minime pendet.

* De bello Peloponneſiaco, lib. 2.

§ 3. Eandem enim contagionem variolarum ſaepius genera diverſiſſima eâdem domo, familia, aut vico creare, cernere licet; quippe aliis mitiſſimae ac diſcretae ſunt, aliis perquam malignae et periculoſae, prout corporum temperamenta variant. Similiter pus varioloſum eidem exemptum, varios in variis aegrotis puſtularum numeros, quin et febris gradus diverſiſſimos generat.

§ 4. Tabum quoque, cujus ope morbus communicatur, ſi confluentibus eximatur, variolarum genus aeque mite, ac ſi diſcretis et mitibus exemptum eſſet, producit; quod obſervatione D. Frewen * chirurgi patet, qui ait ſibi uſu fuiſſe compertum, nil intereſſe quo genere variolarum morbus propagetur; immo affirmat, ſe 21 uno die inoculatos vidiſſe, tabo interim cuidam exempto, qui poſtea morbo interiit; hiſce tamen omnibus omnia proſperè ceſſerunt: inſuper obſervat, ſe aliis materiam malignam inſeruiſſe, nec ullum damnum ſequebatur. Atque etiam doctiſſimus Mead †, plus, inquit, mea opinione refert, in quale corpus infundatur, quam de quali eximatur peſtilentiae virus. Sagaciſſimus etiam Huxham ‡ huic ſententiae ſuffragatur, qui ait conſtare, praevium corporis ſtatum, atque humorum diatheſin, ad quantitatem et qualitatem variolarum praefiniendam magnopere conferre.

§ 5. Et cum evenerit, quod aliquando fit, miaſma peſtiferum eſſe venenoſae ac ferocioris naturae, hoc ex coeli affectionibus nunc magis nunc minus exitialibus pendere

* Vid. *his Letter to a Friend on the ſucceſs of Inoculation.*

† De variolis et morbillis, p. 84.

‡ Vid. *Eſſay on Fevers and Small-pox,* p. 130.

pendere poteſt; nam, ut SYDENHAMUS * bene obſervat, "nemini obſcurum eſt, qui modo animadverterit, unum "eundemque morbum, certâ aliquâ tempeſtate, infinitam "mortalium vim corripere, ac epidemicum fieri, alias ta- "men, unum alterumve hominem afflixiſſe contentum, ul- "terius non graſſari. De variolis, res eſt ſat ſuperque ma- "nifeſta." HUXHAM † etiam notat hunc aëris ſtatum ſingularem, certis qualitatibus in ſolida et fluida introductis, homines certis febribus peculiaribus obnoxios reddere poſſe; aliam enim coeli affectionem febribus inflammatoriis, aliam lentis, nervoſis, remittentibus, intermittentibus, tertiam putridis, malignis et purpureis opportunam reperimus. Quum igitur contagium coincidat, atque cooperetur cum certis aëris conſtitutionibus, certa variolarum genera creabit. Hinc quoque febris communis epidemica nonnunquam cum variolis conſpirat, viro varioloſo morbum tantum variante. PROSPER ALPINUS ait, variolas, eo tempore anni quo peſtis Memphi maxime ſaeviit, maculas quaſdam lividas ac purpuraſcentes, eam aemulantes plerumque comitari.

§ 6. QUAMQUAM igitur variolarum contages eundem morbum ſpecificum producit, gradus tamen ejus morbi longè diſcrepant, neque omnino ex peſtiferis ſeminibus pendent, quod ex dictis patet (§ 2, 3, 4, 5.) ſed pendere, 1mo, ex dictis (§ 5.); 2do, ex diverſis coeli epidemicis affectionibus: 3tio, ex anni temporibus: 4to, ex diſcrimine

* Sect. 2. cap. 2. p. 129.

† Vid. *Eſſay on Fevers and Small-pox*, p. 131.

mine ſexus atque aetatis: 5to, ex temperamentorum in ſingulis corporibus diverſitate. Denique, ex multis quae corpori accidunt ab admiſſione contagii, ad id tempus quo morbus ſe prodit.

§ 7. Ex dictis, igitur, patebit, quod ſi ſanguinem et humores in certo ſtatu ſervare poſſumus, vel vitiatos ad hunc ſtatum reducere, atque cauſas ſupra memoratas vitare, aut ſaltem mitigare, vim contagii magna ex parte effugere poſſumus. Hinc magna inſitionis commoda ex electu temporis aliarumque rerum circumſtantium oriunda.

§ 8. Ut hoc (§ 7.) clarius eluceat: 1mo, cauſas varias allegatas, diverſos hujus morbi gradus, genera, ſymptomata gignentes, plurimum valere, quoque modo hoc fit, oſtendere conabor. 2do, Quae cautiones in propagando morbo per inſitionem adhibendae ſint. 3tio, Quae in habitu immutari debent, ut corpus aptius admittendo morbo reddatur.

§ 9. Et rationi et obſervationi conſentaneum videtur, morbos illos epidemicos qui ab aëris qualitatibus manifeſtis deduci nequeunt, (calore, ſcil. frigore, humiditate, ſiccitate, &c.) ortum, incrementum, maturitatem, caſum et exitum habere, (magna ex parte,) ex variis vaporibus, qui ſecundum diverſas ignotaſque mutationes in viſceribus aut ſuperficie terrae factas, aërem contagiis noxiis inficiunt, qui, quanquam ſubtiliores ſint, quam ut expendantur, nonnunquam corpus humanum afficere poſſunt; hinc coeli varias affectiones epidemicas originem ducere, haud abſque ratione colligere licet; hoſce enim aëris habitus,

bitus, variolas funeſtas et peſtilentes aliquando efficere re patet.

§ 10. Ut mala haec funeſta, cauſis epidemicis ſaepe orta occurri poſſint: quoties haec lues nec opinantes ac imparatos invaſerit, tempus inſerendo idoneum eligi oportet, dum cauſae praefatae (§ 9.) abſunt: aut ſaltem, ubi genera nulla maligna morbi hujus ab his gignuntur: denique, cum variolae caſu tantum quovis in loco ſeſe oſtendant, nec coeli temperies ab inſitione abhorreat.

§ 11. Varia temperamenta, ac anni tempeſtates, ad variandas morbi ſpecies plurimum valent, nam ſi anni tempus frigidius ſit, quod hyeme ſaepe contingit, puſtularum eruptio ab externis ad interiores corporis partes repreſſa atque repulſa, ſymptomata mortifera gignere ſolet. Si tempeſtas anni calidior, aut nimis ſicca fuerit, quod aeſtate ſaepe fit, corporis fibrae nimis aridae et fragiles redduntur, ſanguinis circulatio acceleratur, partes fluidorum blandiores, tenuiores, atque aquoſae exhalantur, dum reliqui humores tenaces, ac acres efficiuntur, et difficillime per vaſcula propelluntur; hinc corpus obſtructionibus et inflammationibus aptius evadit; unde ſymptomata funeſta, maculae purpureae, aliaque gangraenae indolem referentia ſuccedunt.

§ 12. Ut infauſti hi effectus (§ 11.) vitari poſſint; anni tempus quo contagium infundatur, nec frigidum nimis, nec calidum arripiendum videtur. Mea autem ſententia, ver, ſive autumnus, modo placida ſint, maxime huic praxi opportuna videntur; cura etiam adhibenda eſt,

ut regio ſalubris ſit, nullis febribus epidemicis aut malignis tunc temporis graſſantibus; hoc (§ 5.) ſatis conſtat.

§ 13. Aetatis ſexusque diverſitas, inter alias cauſas, ex quibus violentia morbi hujus pendet, numerari debet: hinc Magnus Boerhaavius * obſervat, "quo aetas humida plus diſſipavit, ſolida magis coegit, eo violentior morbus: hinc pueris, mulieribus, mollibus, laxis facilior: exercitatis, viris, ſenibus, pejor:" hoc conſtat, nam quo firmiores, rigidiores, majorique vi reſiliendi donantur fibrae, quoque denſiora ac copioſiora ſunt fluida, quod adultis, ac crebrae exercitationi deditis plerumque accidit, eo violentior febris peſtifera, ideoque morbus periculoſior fiet: fluidis enim nimium rarefactis, ac vehementer agitatis, natura adeo praepeditur, ut materiem morbidam nequeat expellere: quin et hoc a ſolidorum rigiditate, ac vaſorum cuticularium conſtrictione, multo adhuc difficilius redditur; praeterea metus quo homines ſaepiſſime hoc aetatis cruciantur, ne lue jugulentur, naturam adeo perturbare poteſt, ut ſymptomata mala inde oriantur.

§ 14. Ex dictis, (§ 13.) igitur colligere licebit, quod in hominibus temperamento humido, frigido, laxo, ac miti, et quorum ſtamina mollioris ſunt texturae; quique, victui, refrigeranti, ſimplici, ac tenui aſſueti ſunt, nec ullo timore peſtis iſtius vexantur, genus variolarum mite, ac puſtulas pauciſſimas fore. Hinc pueri his omnibus commodis adjuti, ad inſitionem maxime ſunt apti. Quanquam

* Aphoriſm. de cognoſ. et curand. morb. 1381.

quam mulieres aſſultibus violentioribus hujus morbi minus quam viri obnoxiae ſint; attamen, a teneris annis, hoc morbo tentari iis utilius eſt, in adultis enim periculum eſt, praeſertim nuptis, ne alieno tempore, et maxime incommodo, hoc malum eas invadat.

§ 15. NONNULLI variolis ultro ſaepe petuntur quo tempore corpus nequaquam malo ferendo idoneum eſt; hoc autem accidat ex habitu nimium robuſto et vegeto, humoribus denſioribus ac copioſioribus: aut ubi habitus nimis laxus eſt, humoribus interim depauperatis, ſolutis atque aquoſis: denique quum ſcorbuto aut alia quavis acrimonia corpus jam imbutum ſit. Quid multa? Corporis habitus conditionibus adeo iniquis invadi poteſt, ut nemini mirum videatur, tot homines hac peſte necari; nam, pro ratione temperamenti variolae vel malignas vel lenes ſe oſtendent: HUXHAM* igitur obſervat, nec injuria, effecta diverſa in diverſis conſtitutionibus eodem morbo nata, nullibi clarius quam in variolis elucere.

§ 16. QUANTUM emolumenti ex variolis in ſanum ac juvenile corpus tranſlatis percipi poſſit, immo quam opportunè mala, ſupra (§ 15.) memorata vitare licet, nemo, ſana mente praeditus, in dubium revocabit: hoc autem opera prudentis medici, vitia emendando atque ſupplendo quae in conſtitutione deſunt, aſſequi poſſumus: prout igitur aegri habitus, aetas, &c. variant, corporis preparatio inſtituenda, alii enim habitus longe aliter tractari poſtulant. Sanguinis miſſio, emetica, medicamenta antiphlogiſtica, cathartica,

* Vid. *Eſſay on Fevers and Small-pox*, p. 126.

tica, diaeta tenuis, refrigerans, liquores acidi et grati, temperamentis plenis ac plethoricis optimè coveniunt: quibus autem ſolida infirma et laxa, fluida jejuna, aquoſa; vomitu et purgantibus praemiſſis, victus mitis, blandus, nutriens, roborans, unà cum decoct. corticis; aliis denique corporibus hydrargyrum praeparatum, viz. aethiop. miner. pil. mercur. &c. aptè reſpondent. Pleriſque in habitibus, cura diligens regiminis, atque moderatio ſumma in nonnaturalibus adhibenda. Quod ſi labes ſive contracta ſive a parentibus derivata minetur, inſitio, metu eventus parum felicis (quod nonnunquam fit) omnino vitanda; haec cautio eo magis neceſſaria eſt, quoniam eadem neglecta, ſaepius damnum attulit, immo multorum obloquiis, ac calumniis, contra hanc praxin, locum dedit; atque haec de corpore praeparando; ſupervacaneum enim videatur plura hic praecipere, praeſertim quum ſupra memorata adeo facile perfici, atque diverſis conſtitutionibus accommodari poſſint.

§ 17. Variolas et ſponte ortas et arte effectas, non niſi poſt diem octavum ſive nonum, ex quo corpus affectum fuerit, ſeſe indicare obſervatione compertum eſt; hinc malo affecti inſcientibus ipſis in gravem errorem, nimia exercitatione et ebrietate, &c. priuſquam morbus ſe oſtendat, impingere poſſunt: quinetiam poſt indicia morbi evenire poteſt, ut alius pro eo habeatur, unde ſymptomata graviora, ac magis periculoſa, oriri neceſſe eſt.

§ 18.

§ 18. Qui modum, quo facillimè variolae ſunt inſerendae, noſcere volunt, opera adeant Heisteri et Sharp; cavendum autem eſt, ne virus, corpori jam morbo affecto, indatur, haec enim cautela neglecta, anſam eventui funeſto * praebere poterit, nec aliud forſan magis in cauſa eſt, cur haec praxis nonnunquam immeritò culpetur. Quamquam (§ 4.) notatum fuit, nil intereſſe, quo genere veneni morbus communicetur; attamen ſi genus diſcretum, et mite, corpori juvenili ac ſano exemptum, aeque facilè ac malignum parari potuerit, haec methodus ſequenda eſt; alioqui parentes et amici aegroti aegre rem ferant. Inſitione factâ, aeger ſe aedibus tenere, regimini apto, ac moderationi ſummae, caeteriſque praeceptis obſequi debet. Symptomata quum primum accedant, ſi opus fuerit, lenienda ſunt; hoc autem raro uſu evenit, quum plerumque mitiſſima ſint, nec aegritudine, nauſeâ aut anxietate comitantibus, neque guttur ut in variolis ſponte ortis afficitur; exanthemata, quae fere ſunt pauciſſima, naturae etiam admodum benignae, poſt diem tertium aut quartum febris, comparent; neque alia curatio quam diaeta, potiones idoneae, ac moderatio quoad caetera, hîc deſiderari videtur.

§ 19. Ex praedictis ſatis patere arbitror, quod, per inſitionis commoda ut ſupra dictum eſt inſtitutae, non ſolum febris ſecundaria ut vulgo dicitur, ſed et caecitas, cicatrices, aliaque mala id genus, peſte hac teterrima derivata, tuto effugi poterunt. Quam amica haec praxis eſſe poſſit virginibus tenellis hujus inſulae, omnibus fere

D notum;

* Vid. Mead. de variol. p. 84.

notum; quamquam enim animi dotes, corporis formae longè praeſtant, venuſtae tamen faciei, nitidis genis, purpureis malis, oculis micantibus, ſuus honor ac laus in ſecula manebunt: huc accedit, quod hic morbus feliciter ad exitum perductus, his qui priorem vitam anxiam et plenam metus atque terroris egerunt, (ne peſtis haec omnium foediſſima ac maxime periculoſa, aliquando ſecum perniciem adferat) hilaritatem et animi tranquillitatem reſtituit.

§ 20. Quo autem ſupra allegata (§ 19.) melius ſtabiliantur, ad teſtimonia auctoris * fidei indubitatae recurram, qui ait mille quingentos homines celeberrimis chirurgis RANBY, HAWKINS et MIDDLETON inoculatos fuiſſe, quorum tres tantum morbo perierunt; hoc autem forſitan errori alicui, aut cautioni neceſſariae neglectae debebatur, plurima exempla fide digna proferre poſſem, rem ita ſe habuiſſe; unde praxis haec immeritò reprehenſa fuit. Doctiſſimus medicus LANGRISH † obſervat quoque e duobus millibus hoc morbo arte affectis, duas tantum mulieres utero geſtantes periiſſe, has autem invitis medicis inoculatas fuiſſe. Plura huc ſpectantia enumerari poſſent, ſed haec ſufficiant, ſatis enim conſtat ex ſupra dictis hanc praxin ſolida baſi niti. Hanc igitur artem, reipublicae utiliſſimam, generi humano imprimis ſalutarem, praeſertim quum humanitas, patriae amor, rationis dictata, denique religionis praecepta huic ſuffragentur, non excolere, deſipientis eſſet. Actum forſan agere videar, ſi tempus tererem in refellendis nugis atque ineptiis eorum

* Vid. *The Biſhop of Worceſter's ſermon.* † Ibid.

eorum, qui affirmant morbum inſitivum paſſos facilius, quam qui ſponte affecti fuerunt, denuo corripi; qui enim fieri poteſt * ut contagium i. e. ipſum variolarum ſemen, non ſuum, ſed morbum alium generis diverſi, procreet; neque refert quanam via contages ſit accepta, dummodo manifeſtas morbi notas produxerit; haec autem, ſi malignitatem excipias, inſitioni ſemper contingere extra dubium eſt. Ex dictis igitur, (§ 1.) morbum hunc nunquam reverſurum ſatis liquet. Eadem de cauſa, ſi, morbo arte affectis (febre caeteriſque ſymptomatis praecedentibus) ſuperveniat evacuatio critica, ſive ſudore, ſive urina, ſeu alvo, eo tempore quo eruptio plerumque fit, quamquam puſtulae nullae compareant, attamen immunes hoc malo in poſterum erunt. Nec mirum videatur nonnullos hoc morbo nunquam laboraſſe, quum modo ſupra memorato corripi potuerint, hîc enim ſaepe nebula pro Junone amplectitur. Sed certo certius conſtat, quod, qui hoc morbo ſemel arte affecti ſunt, ei nunquam erunt in poſterum obnoxii, id enim probant et iterata operatio, et horum cum aegris jam decumbentibus commercium innoxium.

§ 21. Alii metum ſubeſſe putant, ne forte, ſimul cum materie varioloſa, alius quidam morbus contagioſus, qui ſanguini et humoribus aegri inhaeſerit, in ſanum corpus transferatur; vix tamen fieri poteſt †, ut morbi unius ſemen, genitalem alterius diverſae naturae materiam ſecum

* Vid. Mead. de variol. p. 83.

† Vid. Mead de variol. § 3.

cum adferat commiſtam; hoc experientia non ſolum firmat, ſed et ea, quae hic opponuntur ſatis refellere videtur: ſed fac ita eſſe, contagium tamen illud irritum reddi atquè expelli poſſe variolarum effectis, vero ſimile videtur; ſcorbuto enim vexatis, ſi variolis corripiantur, atque convaleſcant, nulla fere illius veſtigia relinquuntur; hujus exemplum in Noſocomio Edinburgenſi vidi; hoc quoque ſaepiſſime evenire affirmat Celeberrimus medicinae practicae profeſſor D. RUTHERFOORD. Malum autem ſupra memoratum, delectu habito ex quo corpore pus morbidum extrahatur, magna ex parte praecaveri poterit.

§ 22. OBJICIUNT quidam, homines inveniri, qui hoc morbo nunquam corripiuntur, unde caſu eveniat, ut nonnulli immunes variolis per totam vitam evadant: quare igitur periculum inſitionis adeant? Si hoc pro certo praevideri potuerit, reſponſum in promptu eſſet: res autem ſe longè aliter habere videtur, imò hominum commercia crebra obſtant, quo minus eveniat: cur autem, vitam anxiam timore morbi hujus tranſigamus, quum penes nos ſit adeò facile periculum effugere, nulla cauſa videtur. Praeterea exempla eorum, qui morbo nunquam tentantur, (hi autem ut quatuor aut quinque ad centum, vulgo cenſentur) fruſtra opponuntur: D. JURIN medicus obſervat quoque, e centum arte affectis, quatuor aut quinque intactos manere; hos autem via ſupra (§ 20) memorata, aut utero * tentatos fuiſſe, a vero haud abhorret; talibus igitur, viro infuſo, nil inde ſequitur, praeter hoc ſolatium, quod morbus nunquam reverſurus ſit. Haec a praxis nonnullis

† Vid. Mead de variolis et morbillis.

nonnullis improbatur, tanquam arrogans atque iis indigna, qui ſe ſuaque, certâ fiduciâ, numinis providentiae permittere profitentur: his reſpondetur, homines hac lege generatos eſſe, ut rationis monitis obſequantur; certitudo autem plerumque attingi nequit, ad illud ergo quod vero proximum videtur confugiendum: majoris verò incolumitatis ſpes nobiſcum facit, hanc proinde ducem ſequi opportet; nam, ſi res ſeſe aliter haberet, rationes optimas ad vitam ſervandam inire arrogantiae eſſet; noſtri autem conſervatio a Deo Creatore animis noſtris inſita videtur, hanc igitur negligere, impium potius atque abſurdum eſſet; quotuſquiſque eorum, qui contra hanc praxin, tanquam pro aris et focis, pugnant, venam tundere, emeticis atque catharticis, ſi morbus metuatur periculoſus, leviſſimis de cauſis uti, dubitaverit? venaeſectio tamen, vomitus, et purgatio, ſponte arceſſita, nonnunquam funeſta evaſerunt; haec tamen praxis nec arrogans nec impia exiſtimatur; res autem in variolis ſponte arceſſitis eodem redit; quippe periculum minus, idque gravibus de cauſis ſubimus, quo majus evitetur.

§ 23. Supervacuum forte videatur inquirere quanam via potiſſimum variolae ultro propagandae ſint; quum autem nonnullis affirmetur corpus rite praeparatum, atque effluviis contagioſis objectum, aeque facile ac inſitione affici; haud abs re erit obſervare, quod res theologice perpenſa in utroque caſu eodem redeat; attamen ſe aliter habere in caeteris videtur, nemini enim exploratum eſſe poteſt, ſe, licet rite praeparentur vaſa, aeque cito via

naturali, ac arte morbum ſuſcepturum. Accidit etiam, ut regimen et medicamenta vaſa minus idonea morbo concipiendo reddant; unde periculum, ne cura aliqua aut cautio, diutina eventus expectatione, negligatur; eſto igitur, utraſque has vias aeque tutas eſſe, inſitio tamen praeponenda videtur. Ut rem vero penitus perveſtigemus: corpus utroque in caſu rite praeparatum, cum contagium concipiatur, fingamus, tunc, quamvis nulla alia re praeter modum contagii communicandi diſtent, inſitio tamen, mea opinione, praeferenda eſt; hac enim methodo, pus in ſanguinem per vaſa externa ſola, idque qualibet parte corporis differtur: quoties vero morbus naturali via de induſtria arceſſitur, contagio cum aëre ſemper commiſta, vaſis narium, oris, gutturis, pulmonum, aut ſtomachi intromittetur, ac quanquam cutis exterior vaſis bibulis abundet, exigua tamen ejus pars nudatur; porro, quoniam orificia neque adeo aperta ſunt, nec tam humida, vaſa, parum idonea erunt admittendo quicquid iis applicatur. Quicquid igitur aptum erit criſin febris contagio varioloſo excitatae verſus partes internas atque nobiliores determinare, id periculoſum ac nocivum ſit neceſſe eſt: at e contra, quicquid criſin verſus exteriores atque remotiores partes ducit, id imprimis utile videtur. Viam autem naturaliter concipiendae contagis varioloſae priorem effectum habere, inſitionem vero effectum poſteriorem, ex ſequentibus ſatis patebit.

1mo, Observatur, venena alia quae inflammationem ſive gangraenam pariunt, eas partes, ubi virus intrat, ſciz.

tunicas

tunicas narium interiores, os, guttur, pulmones, ſtomachum, aut cutem, praecipue afficere.

2do, Medicus Mead hoc ſibi experientia compertum affirmat, ait enim, e ſeptem capite damnatis quos inſerendos curavit, ſex facile convaluiſſe; ſeptimam, puellam ſciz. more Sinenſium, penicillo in nares indito et ex maturis puſtulis madefacto, in morbum conjecit; eventus reſpondit, nam ea pariter ac caeteri aegrotavit, graviora tamen omnia paſſa eſt, nam ſtatim, a veneno recepto, doloribus capitis acutis ac febre violenta diſcruciata fuit.

3tio, Notatum eſt, puſtulas circa locum inciſum denſiores, imo totum iſtud latus quo inſitio fit, exanthematis altero magis refertum eſſe.

4to, Vulnus ipſum, initio parvum, ſaepe ita dilatatur, atque indolem ulceris maligni in tantum refert, ut puris copiam ingentem, idque per ſpatium menſis, imò nonnunquam diutius emittat.

5to, Doctissimus ac peritiſſimus noſter medicinae practicae Profeſſor, in praelectionibus ſuis obſervat, eos, qui lue hâc per inſitionem afficiuntur, vix unquam dolore gutturis, aegritudine, nauſea, &c. vexari; hoc autem illis plerumque contingit, qui morbo naturaliter corripiuntur. Ex dictis igitur diſcrimen contagii diverſis corporis partibus applicati ſatis apparet: hinc concludere licet, contagium varioloſum, quomodocunque demum intrat, non ſolum totum corpus turbare, et febrem excitare, ſed et corporis partes affectas ita invadere, ut febris criſin illuc

luc praecipue deferat. Inſitionis ergo laus in hoc conſiſtit, quod febris peſtiferae criſis ab internis et magis periculoſis partibus ad externas et minus periculoſas avertitur, quin et vulneris ope, copia materiae morbidae haud aſpernanda evacuatur, unde variolas mitiores reddi neceſſe eſt. Hoc inſuper experientiâ comprobatur; Conſtantinopoli enim, deinde in Anglia, a Domino MAITLAND haec praxis, corporis praeparatione omiſſâ, feliciter exculta fuit, unde rem felicius ceſſuram, praemiſſis praemittendis, ſatis liquet: ex dictis igitur, (§ 4.) ſucceſſum non ex qualitate puris, corpori infuſi, pendere, ſed ex viis diverſis contagii recipiendi, evidentiſſimum eſt.

§ 24. HIS praemiſſis, (§ 23.), ſi partes ad quas contagium applicatur tanti ſint, ut criſin febris peſtiferae eo potiſſimum deferant; procul dubio utiliſſimum erit iis ſyſtematis vaſcularis ramis, virus infundere, quae longiſſimè diſtant a vaſis quibus partes nobiliores ſuppeditantur. Quare inſitionem in extremitatibus inferioribus, quam ſuperioribus, tutiorem fore arbitror; propterea quod arteriae axillares, ad brachia tendentes, atque e ſubclaviis naſcentes, ex trunco aortae aſcendente originem ducunt, unde emittuntur omnes hi rami, caput, et magnam partem thoracis alentes, ubi partes vitales, periculo prae aliis obnoxiae, continentur. Si igitur criſis ad brachium, quo fit inciſio, potiſſimum determinetur, partibus vitalibus majus periculum impendet, ne contagii participes fiant, quam ſi aut crura aut pedes incidantur: nam ſanguinis curſus, hiſce

hiſce in vaſis quibus extremitates inferiores donantur, longe aliorſum ducit. Ac quanquam inciſio brachii, ut mos hodie obtinet, minus forſitan incommodi, quam crurum aut pedum, ſecum adferat; majoris tamen ſalutis ſpes, commoditati merae proculdubio anteponenda eſt.

Ut finem faciam, cum variolarum inſitio tot tantaque emolumenta ſecum afferat, omnium in votis debet eſſe, ut inventum humano generi adeo amicum atque ſalutare, eo honore, quem jure optimo ſibi vendicat, ſemper augeatur.

FINIS.